

nostram litteram sepe dicto claustro super eo dari fecimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum Dresden anno domini M^o CC^o LXXIII^o, VI. kalendas septembris, presentibus testibus infra scriptis: Heinrico de Syden, Alberto de Luppe, Frederico magistro coquine nostre et aliis quam pluribus fide dignis.

(SFR.)

5

268.

Markgraf Heinrich der Erlauchte eignet dem Jungfrauenkloster in Grimma das von demselben dem Konrad von Rydeburg für 300 Mark Silber abgekaufte, ihm aufgelassene Dorf Höfgen nebst dem Patronatrechte, der Gerichtsbarkeit und allen Nutzungen. Dresden, 1275 Aug. 9.

Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 859. Das stark beschädigte Reitersiegel (Posse Siegel der Welt. 10

Taf. III, 6) an Fäden von rother und gelber Seide.

Gebr.: Hasche Magazin 6, 288 f.

Ann.: Vergl. Lorenz Grimma 1299.

Henricus dei gracia Misnensis et Orientalis marchio universis Christi fidelibus presens cyrographum inspecturis salutem in perpetuum. Mundus preterit et mundane simul pretereunt actiones, et ne labantur cum mundo labili, que iuste fiunt ab hominibus et racionabiliter, perhennari solent obsequio litterarum. Notum igitur esse volumus omnibus tam presentis quam futuri evi fidelibus, quod cum abbatissa priorissa totusque conventus sanctimonialium in Grimme Cysterciensis ordinis villam, que Hove vulgariter nuncupatur, cum iure patronatus eiusdem ville et cum omnibus suis pertinenciis a domino Cunrado milite dicto de Rydeburch pro trecentis marcis usualis argenti iusto interveniente vendicionis et empcionis tytulo comparasset, nos, quia prefatus miles eadem bona a nobis tenuit in feodo, post liberam resignacionem suam predictorum bonorum in nostris manibus factam voluntarie predicta bona cum omni iure et utilitate, iudicio tam in ipsa villa quam in campis terris cultis et incultis vineis silvis pratis pascuis aquis aquarumque decursibus piscacionibus molendinis constructis vel imposterum construendis viis inviis exitibus et redditibus theloneo, quod dari consuevit de lignis, que deducuntur per fluvium, qui Mulda dicitur, in descensu, nec non cum omni iure et utilitate, que scribi vel nominari potest, eidem monasterio sanctimonialium prope Grimme liberaliter in proprium dedimus omni solempnitate iuris et facti, que in huiusmodi donacionibus requiritur observata, proprietatis tytulo perpetuo possidenda. Ut autem hec nostra donacio valeat optinere robur perpetue firmitatis, presentem paginam inde confectam eidem monasterio dari fecimus per manum †magistri*) Geuchardi nostri prothonotarii in testimonium sigilli nostri munimine roboratam, presentibus testibus infra scriptis: Alberto dapifero de Burne, Henrico de Syden, Alberto de Luppe, Henrico de Trebezin, Gunthero de Dewin, Friderico dicto Slic, Theoderico de Pluzic, Wernhero de Kirchberch, Theoderico de Wederstete militibus et aliis quam pluribus fide dignis. Datum et actum Dresden anno domini M^o CC^o LX&v, v^o ydus augusti.

(SFR.)